AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS
Göttweig (?), 12. Jh. Seite 108v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



donec dicam. sat est. illic ubi oportet ut dicam. quomodo
eam quero. utrum per recordationem tamquam eam oblitus
sim. oblitumque me esse ad huc teneam. an per appetitum discen
di incognitam. siue quam numquam scierim. siue quam
sic oblitus fuerim. ut me nec oblitum esse meminerim.
Nonne ipse est beata uita. quam omnes uolunt. et omnino qui
nolit nemo est. Vbi nouerunt eam. quod sic uolunt eam. Vbi
uiderunt. ut amarent eam. Nimirum habemus eam nescio quomodo.
et est alius quidam modus. quoquisque cum habet eam tunc beatus
est. et sunt qui spe beati sunt. inferiore modo isti habent eam. quam
illi qui iam re ipsa beati sunt. sed tamen meliores quam illi qui nec
re nec spe beati sunt. Qui tamen et iam ipsi nisi ali quomodo haberent
eam. non ita uellent beati esse quod eos uelle certissimum
est. Nescio quomodo nouerunt eam. ideoque habent eam in nescio
qua noticia. de qua satago utrum in memoria sit. quia si ibi
est. iam beati fuimus aliquando. utrum singillatim omnes an in
illo homine qui primus peccauit. in quo et omnes mortui
sumus. et de quo omnes cum miseria nati sumus. non quero
nunc. sed quero utrum in memoria sit beata uita. Neque
enim amaremus eam. nisi nossemus. audimus nomen hoc. et omnes
rem ipsam appetere nos fatemur. Non enim sono delecta
mur. sic et iam ille si grece hoc audierit. quo res ipsa nec
greca nec latina est. cui adipiscendae greci latinique in
hiant cetarumque linguarum homines. Nota est igitur omnibus.
qui una uoce si interrogari possent. utrum beati esse uellent.
sine ulla dubitatione uelle responderent. Quod non fieret.
nisi res ipsa cuius hoc nomen est eorum memoria teneretur.
Numquid ita. ut meminit cartaginem qui uidit. Non. Vita
enim beata non uidetur oculis. quia non est corpus. Numquid sicut